

Petrus de Vinea

*Ep. V 125 (Gratanter recepimus
deuotionis uestrae litteras...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 125 (Gratanter recepimus
deuotionis uestrae litteras...)*

1248

Responsalis commendationis de preteritis et hortationis in futuro.

1. Gratanter recepimus deuotionis uestrae litteras, quas nuper nostro culmini fideliter destinastis, et quae continebantur in eis, diligenter nostra serenitas intellexit. 2. Quod autem per litterarum ipsarum tenorem demonstratum accepimus, fidelitatem et deuotionem uestram, quam constantem et sinceram erga maiestatem nostram uigere cognoscimus ab experto, de serenitatis nostrae statu felici congaudere. Et quod iuxta requisitionem filii nostri dilecti, F. de Antiochia, balistarios centum armipotentes ad Prati custodiam uestra deuotio destinauit, ibidem pro nostris seruitiis moraturos. 3. Studium et sollicitudinem uestram proinde merito duximus commendandam, fidelitatem uestram, quae circa obsequia nostra inter ceteros fideles Tusciae fulgere per euidentem operis efficaciam consuevit, monentes pariter et hortantes, ut semper more solito ad nostrae maiestatis augmentum et grata culmini nostro prestanda seruitia uos offeratis cum effectum laudabili tam uoluntarios quam paratos. Ita quod semper in excellentiae nostrae oculis ipsa operis efficacia fidem uestram commendabilem representet.